

Pythagoreis et Platonis, non aliter purgatur, nisi animo paullatim a rebus sensibilibus auocando, et ad res intelligibiles contemplandas percipiendasque traducendo: propterea, quod, ut vere Cicero ait, veritatis cognoscendae impedimentum est vel maximum, quod plerique animum a sensibus auocare non possunt. Eius autem rei facultatem veteres illi ab Arithmeticae et Geometriae discendae studio venturam putabant. Nam, etsi numerorum signa, et figurae geometricae, sensibus oculorum subiiciuntur: tamen, quae de iis traduntur et demonstrantur, in sensum non cadunt, sed mente tantum intelliguntur: *ἐκ αἰσθητῶν εἰσιν*, inquit Proclus ad Euclidem p. 10. *ἀλλὰ νοητῶν*. Oculus videt ille quidem trianguli latera et angulos, sed eos summam duorum rectorum explere, et subtensae quadratum reliquorum laterum quadrata aequare, non videt, sed sola mens intelligit. Plato sane, in septimo de republica libro, matheseos commendationem ingressus, primo Arithmeticae laudat, quod de his rebus differat, quas intelligere tantum liceat, eaque re cogatur mens, in veritate quaerenda intelligentia uti: eademque ibi de Geometria ita tradit, ut tamen Arithmeticae principatum tribuat, quod purius a materia obiectum habeat. Itaque etiam, ut auctor est Plutarchus, in Symposiacis, VIII, 2, idem ille Plato solebat grauiter reprehendere eos, qui Geometriam, ut faciliorem redderent

rent